

monasterij plurimum necessarios, de eisdem priuilegijs collective excipiendo, presentibus nostris litteris priuilegialibus, de verbo ad verbum transsumendo, transcribi et sigillo nostro consignari facere dignaremur. Qui quidem articuli in dictis duobus priuilegijs ipsius domini Andree Regis, de verbo ad verbum talibus verborum prolationibus inventi fuisse dinoscuntur. Principales quoque et servicia, que nos ipsi tempore Ducatus nostri, de eodem Comitatu recepimus annuatim, presenti pagine duximus inserenda. Pro marturinibus vnaquoque mansio viginti quatuor frisaticos soluere tenetur annuatim; ab hac autem marturinarum solutione nullus exemptus est, preter quinque, quorum hec sunt nomina: Brenue in Boiucha, Wlkan, Berkis, Bogdan et Gostue; istorum quinque Jobagionum, quilibet cum fratribus uterinis et nepotibus, debent ecclesie tres pensas annuatim, et descensus tenere, porcos uero regio debet ecclesia de tota terra sua colligere, ita, quod nullus ab eorum solutione sit exemptus. Omnes uero isti supradicti, qui soluunt tres pensas, per totum regnum Hungarie, ad iussionem Abbatis, vel illius, qui uices eius, mandato ipsius, suppleuerit, quoties iussi fuerint, proprijs equis et sumptibus, ipsi et heredes eorum, ire tenentur, et si ire noluerint, abbas iudicio subiacebunt. Homines de foro Toplice, preter marturinas, reddere debent tunellam vini, bouem vnum, et de singulis domibus panem vnum, et hoc ter in anno, scilicet in natali Domini, in pascha et in assumptione beate virginis. Preterea sciendum est, quod hospites de foro Toplice, singulis annis decem pensas frisaticorum, eidem ecclesie soluere tenentur, in nativitate quinque pensas, et in pascha quinque pensas, preter marturinas, quas, sicut alij soluant. Hospites autem et castrenses omnes prenominati Comitatus, soluant monasterio Toplice singuli de singulis mansionibus annuatim cubulum vnum frumenti, et alium avene, cuius mensura erit quatuor pugnorum et quatuor digitorum, a festo s. Michaelis vsque ad festum omnium sanctorum, sicut et marturinas, et collectoribus duas pagachas, et cubulum vnum avene et gallinam vnam. Nos siquidem iustis et legitimis petitionibus prefati fratris Gujllermi, Abbatis de Toplica, fauorabiliter inclinati, predictos articulos, seu clausulas necessarias, de eisdem duobus priuilegijs prememorati domini Andree regis, collectivae excipiendo sine diminutione et augmento aliquali, presentibus nostris litteris priuilegialibus, de verbo ad verbum fecimus inseri et sigillo nostro autentico consignari, uberiores ad cautelam. Datum in Thopolcha sabatho proximo ante dominicam Letare. Anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo.

Ex Transumpto Priuilegiorum Abbatiae Thopuskensis.